(17

DISPUTATIO MEDICA

QUÆDAM

DE

SANGUINE MITTENDO

COMPLECTENS.

JOANNE FREER AUCTORE.

PRÆFANDA.

RES est artis Apollinaris scientibus satis nota, auxilia medicinæ præstantissima, peritoque adhibente, valetudinis secundæ tuendæ, adversæve arcendæ potentissima, intempestive ministrata, summam perniciem, imo vero fatum ipsum secum afferre solita esse: permulta etiam, præsertim inter effossa, quæ venena jure acerrima habentur, rite et tempestive admota, optima persæpe fieri remedia, morbos vix aliunde medicabiles fugatura.

[1822]

Ex omnibus vero remediorum generibus, quæ ars Machaonia pollicetur, nullum est omnino, de quo rectius prædicatur rite et legitime concessum quam maxime valere, intempestive exitiosissimum esse, quam de Sanguinis Missione: de qua, summos medicinæ honores ambiturus, pauca conscribere statui. Non scribendi cupiditate, nec novi spe proferendi impulsus, tanti ponderis argumentum aggressus sum; sed occasioni oblatæ obsecutus, quæque de eodem utilissima cognituque dignissima exponere nitar; sive quæ usu doctus, sive quæ aliunde, didicerim.

Ab antiquissimis temporibus ad hunc usque diem, medici venas arte vacuefacere consuerunt; nec solum ad morbos arcendos, verum etiam ad valetudinem secundam conservandam: neque profecto dictu facile est, quisnam omnium primus id genus auxilii fuerit expertus. Auctores vetustissimi ferunt PODALIRIUM ÆSCULAPIO natum hoc remedio artem medicinalem ditasse. Multi contra dubitant, neque injuria, ut opinor, necne bellum Trojanum ipsum, (quo flagrante, PODALIRIUS et MACHAON sauciatos

manu et medicamentis curasse traduntur,) inter fabulas recenseri oporteat. Quomodocunque id se habeat, veri non absimile est, remedium propositum, quippe quod ipsa natura toties suggerit, fere nusquam et nunquam generi humano defuisse.

Quantumcunque medici inter se discrepuerint, omnes fere, quisque suo consilio permotus, sanguinem, icta vena, detrahere soliti sunt. Inter antiquos Hippocrates, Aretæus, Galenus, Diocles, Asclepiades, Cœlius Aurelianus, Celsus, &c. potissimum hoc usi sunt auxilio; pluraque de eo literis tradiderunt. Ex recentioribus nemo quam Sydenhamus largius crebriusve sanguinem ægrotantibus misit: quem hodierni imitati molem perinsignem humoris ejus vitalis tandem demere consuerunt. Cum vero medici satis noverunt hoc remedium præpollens certos agnoscere fines, quos ultra vel citra pernicies instat, studio acerrimo leges ejus rectrices exquirendas esse constat. Huncce vero sequi ordinem in animo est: agendum erit,

I. De sanguinis mittendi rationibus.

II. De sanguinis missi effectibus.

III. De medendi consiliis, quæ sanguinis missio exequi posse videatur.

IV. De morborum generibus eandem desiderantibus.

V. De quibusdam notandis et cavendis.



DE SANGUINIS MITTENDI RATIONIBUS.

Sanguinis duplici ratione mitti potest: nimirum, fieri potest ut vel partis solius affectæ, vel corporis universi venæ vacuefiant. Utrumque variis modis effici solet.

Si toti corpori sanguinem demendum sit, modo quædam arteria, sæpius vena inciditur. Perraro arteriam secare licet; ægre enim supprimitur sanguinis cursus, ob arteriarum situm et motum validiorem. Nosse porro juvat, minorem sanguinis molem, cæteris paribus, arteriis quam venis detrahendam esse; quippe quibus contingit sanguis ditior, generique nervoso incitando atque vitæ ipsi fovendæ habilior.

Quod si, ad corpus totum exinaniendum,

venam icere volumus, una venarum brachii secari solet: quidam *medianam cephalicam*, alii *medianam basilicam*, incidere malunt; quarum alterutra satis convenit: grandes enim et summæ cuti proximæ facile perspiciuntur. Quoties in animo est totum corpus vacuefacere, parvi aut nihil interest, quanam ex parte sanguis profluat. Si vero non solum vasa omnia, verum etiam partis laborantis venas potissimum, deplere opus sit, scire licet aliquam arteriam aut venam huic propinquam feriendam. Si quis nimirum plenior et vegetior in *apoplexiam* inciderit, arteriam *temporalem* aut venam *jugularem* cædere decebit, quo citius et melius expediantur cerebri vasa.

Permagni interest non solum, quantum sanguinis mittatur, verum etiam qualiter effluat, cursu nempe celeri an lento. Quidam morbi graves venas sic exinaniri desiderant, ut citra discrimen anima deficiat: qua de re paulo postea fusius disputabo. Quo medicus tuto hoc moliatur, incisura aliquanto latiori opus erit, capite simul erecto: hinc enim cerebri vasa idoneo incitamento subito destituuntur.

Brachium antea ligare oportet, quam vena ejus secetur, aliquanto supra icendam partem: quo, cursu sanguinis impedito, vena amplificata facilius incidatur, et sanguis ipse uberior effluat. Nec desunt alia bene multa huc attinentia: quæ tamen cuique artifici notissima prætermittere, quam inutiliter sermonem producere malui.

Si quando parti sanguis demendus sit, id fieri consuevit, modo hirudinibus impositis, modo cucurbitulis cruentis; alias scarificando. Quod ad cucurbitulas cruentas, haud alienum judico hanc sanguinis eliciendi rationem explicare. Summæ cuti prius scarificatæ imponitur cucurbitula; quæ protinus aëre vacüefacta illico sanguine ruente impletur. Hacce ratione, an per hirudines venæ partis melius depleantur, anceps hæreo: si cui summa cutis contingit irritabilior, genusque nervosum mobilius, hirudines admoveri, quam cutem scarificari malo. Neque tamen id perpetuum est: usu enim didici, partem hirudinibus morsam aliquando intumescere et inflammari; quinetiam inflammationem ibi accensam modo ad vasa *lympha-*

tica glandulasque eorundam proprias serpsisse. Accepi etiam cutem infantibus, post hirudines adhibitas et subductas, non raro ægre sanescere, eo ut fluxus sanguinis vix aut ne vix quidem reprimendus sit.

DE SANGUINIS MISSI EFFECTIBUS.

Omnes canales sanguinis vectores hoc fistulis inertibus distant, quod humor ipse vehendus iis est incitamento et adjumento. Quum igitur, misso sanguine aliquid moli humorum circumfluentium subducitur, cordis et arteriarum atque venarum actio plus minusve sedetur, necesse est. Usu sane docemur motum cordis et arteriarum remissiorem et tardiorem sanguini ablato supervenire solitum esse: nisi profecto vasa prius admodum onusta fuerint. Si enim inter hæc, tanta sanguinis copia detrahatur, ut cor et arteriæ gravante onere expediantur, citius exinde et fortius salire observantur. Quinetiam, si cui viscus aliave pars inflammatur,

cor et arteriæ, detracto sanguine, longe sæpius exilius, tardius molliusque micare consuerunt. Neque tamen hoc perpetuum est: ventriculo enim vel intestino inflammato, motus arteriarum validior missum sanguinem excipit. Neque medicum ignorare oportet, arterias, istis visceribus inflammatis, uti dure et citissime, ita quoque languidissime moveri: eum vero languorem non jure terrere, quo minus incidatur vena: dempto sanguine nimirum, motum arteriarum molliorem, tardiorem, et validiorem fieri: de quo paulo fusius disserendum erit.

Plus æquo sanguinis detractum pessimos edit effectus: quod si non mortem ipsum infert, mala tamen nulla ope diruenda gignit. Ex his, quædam subito, alia postea et pedetentim accedunt. Nimium igitur sanguinis missum facit ut protinus vultus palleat, anima deficiat, vires labantur, artus frigeant; interdum porro ut membra convellantur, (quod sane pessimum est): nec raro, ni hæc in fatum abeant, serius ocyus accedunt secernenda et excernenda parum secreta et excreta, aqua pedum et crurum intercus, spirandi difficultas, aliaque non minus

funesta. Neque vero affirmare volo, quodvis horum per se vasa præter debitum vacuefacta insignire. Quo exemplo utar, sanguis rite sic mitti potest, ut animæ defectio, id est, *syncope*, sequatur: qua de re posthac fusius disputabo.

Ex quo humorum *pathologia* obsoleverit, medici sanguinem sanis mittere pene cessarunt: qui nempe vere et autumno, ad valetudinem secundam conservandam, venam secare solebant: quam consuetudinem omnino condemnandam existimo. Usu enim et ratione docti intelligimus, sanguinem statis temporibus modice elicitum potius implere quam extenuare; si quidem arteriæ, stimulo proprio ita crebrius subducto, minus ad secernendum et excernendum valent; sanguis autem, concoctione cibi illæsa, non tarde renascitur: quo fit ut corpus cito saginetur, imminutis excretis, nec mutatis ingestis.

DE MEDENDI CONSILIIS, QUÆ SANGUINIS MISSIO EXEQUI POSSE VIDEATUR.

Etiamsi plurima morborum genera remedio proposito cedunt, eadem tamen ratione omnibus fere ægris idem succurrit. Sanguinis igitur detractio hæcce moliri potest: nempe, humorum circumeuntium molem minuere; atque exinde motum cordis arteriarumque sedare, necnon vasa præter naturam tensa relaxare. Huc accedit, remedium, de quo agimus, sanguinis distributionem mutare posse.

Satis constat, hoc remedium deplere, id est aliquid humoribus circumfluis subtrahere. Cum vero sunt aliæ plures exinaniendi rationes, non illico sequitur omnia valetudinis adversæ genera corpore præter modum repleto oriunda, vel cum eodem sociata, venas vacuefieri desiderare. Hacce demum usi lege vix aut ne vix quidem errabimus: scilicet, ni vitæ discrimen instet, actionumve quævis vitalium impediatur, longe

satius esse victu tenui et medicamentis, quam vena ferienda corpus plenius extenuare: validis enim cito renascitur sanguis, post incisam venam: debilioribus autem ipsa sanguinis missio morbos aliquando minitatur, non minus exitiabiles, quam qui plenitudine nimia nascuntur. Quinetiam, cum sanguis missus cordis atque arteriarum motum sedat, in aprico est plures morbos cursu sanguinis citiori prognatos sive exasperatos, huic remedio esse cessuros. Quæ tamen supra de morbis corpore pleniori ortis notavi, huc quoque pari jure pertinere videntur: nec oblivisci oportet, multa alia, maximeque folia *digitalis purpureæ*, vires motrices insignitur sedare posse.

Nullum remedii genus vasa tensa laxandi potentius est, quam sanguinis detractio. Raro igitur eum in finem, venas vacuefacere non decet: hinc omnes fere viscerum inflammationes venam incidi flagitant, de qua argumenti parte mox fusius agere in animo est.

Denique, sanguine mittendo humorum distributio mutatur. Hoc de venis partis depletis recte prædicatur: si quam nimirum in par-

tem sanguis impetu acriori impellatur, ita hæc abnormis humorum distributio tollitur.

DE MORBORUM GENERIBUS, QUÆ SANGUINEM MITTI DESIDERANT.

Hucusque absoluto proposito, proximum est, ut præcipuam argumenti partem aggrediar; id est, explicem quibus potissimum morbis sanguinis missio accommodetur.

Si quidem hoc remedium humorum molem minuit, in morbos hisce redundantibus genitos vel intentos opituletur, necesse est. Ex quibus *hæmorrhagiæ* acutæ, id est cum repleto et incitato corpore consociatæ, necnon *apoplexia sanguinea* præcipue sunt memoranda. *Hæmoptysis*, *menorrhagia*, interdum *hæmatemesis*, &c. persæpe vena incisa solvuntur, certeve mitigantur. Si autem, quod sæpe fit, *hæmoptysi* tentato contingunt habitus corporis delicatior, pectus angustum et membra gracilia, tutius erit venas modice quam largius exinanire: scilicet,

unciæ circiter xii. sanguinis eliciendæ: neque hoc solo auxilio nitendum; at rite accedunt folia *digitalis purpureæ*, victus parcior, alvi purgatio, &c. Si cui porro *purpura hæmorrhagica hæmoptysin* intulerit, corde et arteriis simul concitatis, nec fracto robore, sanguis nulla mora neque manu parca detrahi debebit. Quod si sputum sanguinis corde lævo vitioso enascitur, *scorbutum*ve comitatur, venas vacuefacere est fere ægrum jugulare. Nec dissimilem accipiunt rationem *hæmatemesis* et *menorrhagia;* quæ, non nisi vegeto et pleno corpore, hoc sinunt adhiberi remedium. Quod ad *apoplexiam*, si cui sanguine repleto, vultu rubicundo prædito, corde et arteriis fortiter salientibus, hic morbus gravis instat vel subest, protinus vena *jugulari* brachiive secta, amplior sanguinis moles demenda; idque subito, ope incisuræ latioris. Si nondum cruor e vasis interioribus diruptis intus profluxerit, vasaque tumefacta unice cerebrum oppresserint, proximum est ut homo misso sanguine extemplo liberetur. Quod si mala non statim sublata, *pupillæ* immotæ, et aliqua pars *paralysi* resoluta, cerebri atria cruore profuso

gravata insigniunt; venas tamen citra vires contritas, deplere proderit: mole enim humorum imminuta, impetuque sedato, cavetur ne increscat sanguinis intus fusi copia: robore quoque non labefacto, fieri potest ut vasa *lymphatica* demum cruorem, qui jam cerebri penetralia opprimit, resorbeant. Hic, denique, quod supra de cæteris retuli morbis, non scalpello soli confidendum; sed aliis quoque vasa capitis deplendo, et extenuando habilibus utendum. Si aqua pedum intercus et motus arteriarum admodum imbecillus missum sanguinem excipit, plus æquo detractum fuisse patet: id quod non minus sibi præfert discriminis, quam venæ non omnino depletæ; vasis enim omnibus hinc perquam laxatis, profusio cruoris nunquam resorbendi intra cerebri atria sæpe increscit.

Apoplexia traumatica vexante, vena non semper protinus icenda: nec solummodo virium rationi et arteriarum motui, ætatique insistendum, quo sanguis demendus sit necne, comperiatur. Principio calvariam acriter inspicere oportet; quæ si scissa eo usque intrusa videtur, ut hæc causa unica cerebrum opprimere appa-

reat, statim calvaria perterebranda et levanda. Si, hoc absoluto, mala evanescunt, sanguinem mittere alienum erit: quod si perstant, vena secanda; si quidem manifestum est, vasa cerebri distenta aut dirupta ossi fracto et intruso accedere. Denique, quotiescunque capite violato, notæ cerebri pressi valde urgent, calvariaque parum læditur, venas quam primum vacuefacere opus est.

Si cui *apoplexia* laboranti vultus pallet, habitus contingit *leucophlegmaticus*, et ad hydropem propensus, remedium, quod prosequor, prætermitti debet; certeve non nisi paucas hirudines temporibus imponendum.

Quum supra retulimus missum sanguinem cor arteriasque sedare, sequitur ut explicem, quibus morborum generibus motus sanguinis incitatior contingat, detracto hoc humore tollendus. Huc vero spectant cordis quidam morbi, veluti amplificatio, *angina pectoris*, porro *aorta*, ubi se arcuat, *aneurismate* vitiosa, quinetiam, *phthisis pulmonalis* jam iniens, *asthma*, *pertussis*, *hydrocephalus acutus*, &c: quibus omnibus sæpe accidit motus sanguinis justo velo-

cior. Quantum et quousque venas hisce morbis implicatis exinanire deceat, quam paucissimis verbis exponere nitar.

Res est notissima, motum incitatum cordis et arteriarum morbos ejus visceris jam dictos exasperare ; quicquid corpus impleat aut stimulet, notas omnes intendere, imo vero aliquando necem repentinam inferre.

Si cui igitur mediam jam ætatem haud multum transgresso, et pleno contingit *aneurisma* cordis vel *aortæ*, si gravis spirandi difficultas exercet, cor ipsum vehementer palpitat, vultusque tumet et purpurascit ; medici erit protinus, vena brachii secta, sanguinem modice abstrahere, uncias circiter xii., adjectis quiete, alvi purgatione atque foliis *digitalis purpureæ*. Nosse simul juvat hisce malis implicatos longe sæpius ad hydropem propensos esse, atque valetudinem fractos ; ideoque cauta semper opus esse manu. Quod ad *anginam pectoris*, accessione ejus jam urgente, omnia signa, ni alia consocientur mala, hominem potius refocillandum, quam exinaniendum testantur : vultus enim pallet, artus frigent, arteriæque languidissime

moventur. Si demum notæ abnormes, veluti spiritus gravatus et facies rubrior (id quod interdum accidit) venam incidi postulat; convenit tamen inter medicos, pauxillum sanguinis esse detrahendum, trunco corporis supino, venaque quam minime hiante. Lex igitur solummodo non perpetua ferenda est, hoc morbo tentante, per integritates potius quam accessiones, venam icendam esse: vix unquam porro largam molem demendam.

Phthisi pulmonali jam ineunte, sanguis non raro tuto et utiliter detrahitur: acriter sane et festinanter agendum, ne tubercula jam inflammata in exulcerationem, arte nulla medicabilem, abeant. Ne multa, si febricula, pectoris dolor, spiritus citior et difficilior, vultus rubrior, arteriæ concitatæ, tussis vel tussicula sputi expers, secernendaque et excernenda suppressa, aliquem *struma* imbutum male habent, cæteris remediis simul diligenter præceptis, uncias circiter xii. sanguinis illico mittere decebit: nec raro idem iterandum, prout indicent ætas, vires, arteriarum motus, et quæ sunt hujusmodi. Si quidem perraro licet, præ habitu corporis fere

mobili et delicato, venas præter modum vacuefacere, permagni interesse opinor, ut incisura fiat amplior; paululum enim sanguinis ita missum plus operæ conferre solet ad inflammationem vincendam, quam ingens copia cursu lentiori effusa; nec simul in virium resolutionem territuram abit.

Quæ jam de cordis vitiis retuli, eadem fere *asthmati* conveniunt. Si quidem membrana *mucosa* animæ canalium *pertussi* ægrotantibus inflammari videtur, spirandique difficultas et tussis sæpe strangulationem ipsam cerebrive aut pulmonis morbos lethales minitantur, multo frequentius sanguis mittendus. Quod si, tenello implicato, venam brachii, fere perexiguam multoque adipe tectam, incidere vix liceat, hirudines circa cervicem erunt imponendæ; vel cucurbitulis cruentis utendum.

Hydrocephalo acuto jam incipienti, id est, latice nondum intus profuso, sanguinis detractio fere semper convenit: neque profecto spes boni eventus affulget, si morbus hic funestus partem secundam ejus progressus attigerit. Quod si impuberes laborant, rarius vena brachii recte fe-

ritur: nec solum ob causam paulo antea expositam; verum etiam, quod hoc malo exitioso corripi solent *struma* imbuti, languidi et mobiles. Satis fere est, arteria *temporali* incisa, uncias paucas elicere; aut hirudines cucurbitulasve cruentas imponere. Hoc remedio nequaquam postea utendum, quam notæ laticis effusi cerebrum gravantis accesserint.

Denique, siquidem sanguis detractus vasa præter naturam intenta laxat, in omnes fere inflammationes quam plurimum valet. Eodem fere consilio hodierni febricitantibus venas crebro vacuefaciunt. Quantum igitur inflammationes et febres sanguinem mitti postulent et sinant, nunc inquirendum.

Quum inflammationes cursu celerrimo ad finem properare consuerunt, nulla habita mora, vena, si opus sit, icenda: quod fieri oportere testantur pulsus arteriarum solito duriores et citiores, dolor manu premente auctior, exteriore aliqua parte laborante; vel si quid viscerum laborat, quodam motu exasperatus: porro, summa cutis æquo ardentior, secernendaque et excernenda parca vel suppressa. Sanguinem

recte missum sequuntur motus arteriarum molliores et tardiores, dolor remissior aliæque notæ jam dictæ sublatæ vel mitescentes.

Permagni refert, aliqua inflammatione sæviente, ut sanguis quam celerrime, vena quadrantem circiter pollicis hiante, effluat: dubitari enim non potest, copiam sanguinis modicam ita detractam multo magis inflammationem debellare, quam molem ingentem tardiori passu ablatam: illinc scilicet multo frequentius quam hinc animæ ipsa defectio, id quod jam retuli, nascitur. Huc accedit, inflammationem citra vires postea labefactatas sanguine sic, ut jam præcipio, misso devinci: moli enim demptæ, non demendi rationi respondebit virium resolutio futura.

De *pneumonia*, *hepatitide*, *gastritide*, *enteritide*, et *peritonide* acuta quædam proprie disputare visum est.

Pulmone inflammato, venis vacuefactis, veluti præcipio auxilio medicinæ, fidendum: multo sanguine misso, celerique rivo et crebrius, opus est: nimirum non prius desistendum, quam arteriæ mollius tardiusque micare cœpe-

rint, dolor conqueverit, certeve eo decreverit ut homini spiritum altius trahere liceat, tussis sputum habere inceperit, febrisque et ardor inclinata fuerint. Quum vero fieri potest, ut, vel inflammato pulmone, plus justo sanguinis, imperito curante, mittatur; constat, uti acriter agendum, ita quoque cavendum.

Si cui igitur, *pneumonia* implicato, venis jam sæpius depletis, dolor, ardor et aliæ inflammationis notæ abierint, spirandi autem difficultas increverit; si tussis humida sputo difficili stipatur; si arteriæ concidunt, maximeque, si crura et pedes aqua intercute intumescunt: eidem plus æquo demptum esse sanguinis, exindeque instare pectoris hydropem, aut quodvis aliud malum istiusmodi exitiabile, manifestum est.

Præter hæc, non desunt *pneumonia* tentati, (id quod medici copiis militaribus classique regiæ Britannicis præpositi persæpe noverunt), quibus, gravi inflammatione urgente, vultus parum rubet, arteriæque exiliter saliunt. Quod si, inter hæc, dolor pectoris exardeat, spiritu trahendo auctus, motusque arteriarum duriores

sint, et crebriores quam fert natura; medici erit, istis debilitatis indiciis nihili habitis, protinus venam ferire: quod rite factum esse docebunt motus arteriarum exinde non solum lentiores et molliores, verum insuper pleniores: ne multa, vires, inflammatione sedata, revocatæ. Causam istius debilitatis falsuræ explicare haud alienum opinor.

Interdum inflammatio pulmonem eo usque obturat, ut sanguis ægerrime arterias et venas *pulmonicas* permeat; ideoque ut cordi lævo arteriæque magnæ idonea sanguinis coccinei moles deficiat. Hinc arteriæ languide saliant, gravi simul inflammatione vexante, necesse est: nec mirabitur rei medicæ peritus, quod motus arteriarum validior venas vacuefactas sequitur; quoniam, pulmone ita expedito, aditus ad lævum cor et *aortam* sanguini facilior patet. Denique, quo minus ista species debilitatis medicum fallat, nosse juvat inflammationem dolore pectoris inter inspirandum aucto, pulsuque arteriarum duriori insigniri; carpi scilicet arteriam digito admoto eundem fere, quem chorda pertenuis ænea contrectata, sensum præbere.

Ex omnibus, quæ de *pneumonia* tradidi, *peripneumoniam notham* (id est, pulmonem seniori cuivis minus acute inflammatum, *catarrhi* simul comitantibus signis) multum sanguinis mitti nec desiderare, nec pati, manifestum est: metuendum sane, ne, venis vehementer depletis, homo stranguletur, hydrope pectoris superventuro, pituitave animæ meatum obturatura. Jam notavi venas *pneumonico* sæpius atque ultra modum idoneum exinanitas spirandi difficultatem intendere, etsi inflammatio exinde conquieverit: nec ratio obscura; vasa nimirum exhalantia et resorbentia in tantum, resolutis viribus, laxantur, ut multum laticis intra cellulas spiritales confluat, ob motrices potestates lapsas, non excreandi. Quæ mala fere semper hoc remedium *peripneumonia notha* tentato adhibitum infert.

Quod ad *hepatitidem* acutam, si nostrates domi jam manentes aggreditur, sanguis haud secus atque, *pneumonia* torquente, mitti debet. Si vero jecur Britannico ardoribus Indiæ Orientalis confecto inflammatur, sanguis parcius abstrahendus. At vero aliquanto difficilius est leges et præcepta certa ferre; siquidem pro-

prietates corporum, ætatis ratio, et alia ejusmodi morbos insigniter mutant, atque moderantur.

Gastritidi cum *enteritide* et *peritonitide* commune est vires quam maxime et subito prosternere, et hinc medicum inexpertum interdum fallere. Ventriculo inflammato, vultus fere expallescit, arteriæ moventur exilissime, et justo crebrius duriusque; mens admodum contristatur. Neque simul desunt indicia inflammationis incitatissimæ; nimirum, dolor ventriculi urgentissimus, manu premente, imo vero tangente exasperatus, singultus dolentissimus; præter alia, quæ hic memorare vix opus est. Hancce virium resolutionem non veram esse, id est, non jure medicum terrere, quo minus exinaniat, hinc satis superque patet, quod alicui vel validissimo vires extemplo dilabuntur, simul atque ventriculi inflammatio accedit; haud secus atque milites fortissimi, maris parum sueti, si navem conscendunt, et nausea maritima vexantur, momento fere temporis resoluti et infirmati concidunt; sublata nausea, illico robur idoneum recepturi. Quantumcunque igitur vires motrices hoc malo affectis labefiant, si ta-

men pulsus arteriarum æquo sint duriores, dolorque ventriculi manu tangente vel premente auctior cruciat; statim venam ferire oportebit: quod factum profuisse docebunt motus arteriarum molliores, lentiores, atque pleniores, cæteræ inflammationis notæ sedatæ, vires demum quodammodo refectæ.

Si inquiratur, cur tantus virium motricium languor inflammationi ventriculi incitatissimæ accedere appareat, nec simul venas deplere non liceat; respondeo, hanc proprietatem miro isti consensui deberi, quo id viscus, ope partis vagæ nervi octavi, cum cerebro consociatur. Hanc quæstionem altius agitare nolo: illud solummodo adjiciam, robur, *gastritide* torquente, non eo collabi, quod actio cibi concoctrix et corporis nutrix imminuitur vel quiescit: quam citissime enim, uti jam retuli, infirmitas, illata hac inflammatione, invadit, sublata, evanescit: quod fieri vix posset, si ex officio ventriculi perturbato unice nasceretur.

Enteritis et *peritonitis* vires quoque multum et cito frangunt: quæcunque demum jam de *gastritide* conscripsi, recte, ut opinor, de his

etiam prædicari possunt. Nemo inter hodiernos non agnoscit *peritonitidem puerperarum* inflammationem esse acutissimam membranæ visceribus et parietibus abdominis circumjectæ; necnon sanguinem ipso initio, non obstante insigni languore, mittendum esse.

Sequitur ut perpauca de sanguine febricitantibus mittendo disputem. Ex omnibus valetudinis adversæ generibus, quæ homines vexare solent, nulla fere medici studio acriori prosecuti sunt quam febres; quippe quæ nusquam et nunquam non stragem dirissimam attulerunt. Utinam non adjicere possem nullum omnino argumentum magis sæpiusve ingenium humanum fefellisse. Satis superque innotuit CULLENUM ejusdemque æmulos, gravi virium resolutione, *typhum* comitari solita perterritos, venam secare nolle. Nuper autem lux clarior et felicior febrium curationi affulsit, auspice viro clarissimo ARMSTRONGIO; cujus luculentas opiniones longo sermone describere vix opus est; omnibus enim rei medicæ studiosis aut scientibus in manu est liber ille præclarus ab hoc medico editus: qui optime monet languorem istum animi et corpo-

ris *typhi* jam ineuntis proprium sæpe inanem et fallacem esse: eundem scilicet plus minusve vehementem omnibus pene *typho* febrientibus evenire, junioribus et senioribus, vegetis et imbecillis; inflammationem porro cujusdam viscerum acutam vel subacutam crebro supervenire; id est, secundam partem cursus febris continuæ constituere: ex his vero, cerebrum sæpissime, modo pulmonem, modo membranam animæ canalium interiorem, subinde alia viscera, inflammari. Hic auctor febrem continuam hisce malis stipatam, *inflammatoriam* nominat; jureque notat, quanto magis robur inter initia dilabi videatur, tanto (frequenter) sæviorem incitationem, renixu demum facto, subsequi, haud citra partis interioris inflammationem. Medici est igitur, deposito inani timore, venam protinus secare, si cui *typho* febricitanti, præter signa languoris ineuntia, vultus fit anxius et rubet, pulsus arteriarum æquo sunt duriores et citiores, si aures sonant, oculi corusci nitent, homoque delirat et noctu vigilat. Nec moræ locus est; notæ enim istiusmodi, si diutius trahunt, nec

venis depletis debellantur, non raro in stuporem lethalem, *apoplexiam* nimirum, abeunt.

Pari ratione, si notæ accedunt inflammati pulmonis, animæ meatus, ventriculi aliusve partium interiorum, quam primum venas vacuefacere decebit. Quæ jam de febre continua proposui, pari jure de aliis quoque febribus prædicantur. Nuperi usu docti compererunt febrem flavam non esse pestilentem, at potius febri intermittenti affinem; nimirum, aura ista exitiosa, cui nomen *miasma*, progigni, moderatricibus sane aliis quibusdam causis, quas hic memorare alienum foret: eandem porro juvenes, plenos et validos potissimum adoriri; gravemque inflammationem ventriculi aut cerebri aut utriusque fere semper accedere. Quibus perspectis, medici hac febre ineunte vexatis venas vacuefacere consuerunt; idque, uti accepi, summo profectu.

Uti paucis igitur hanc rei propositæ partem absolvam, legi fere certæ et perpetuæ ferri potest, virium languorem, qui plures morbos acutos ineuntes comitatur, maximeque febres et quasdam inflammationes, non ex vitæ principio

exhausto, vel mox extinguendo, sed ex habitu vitioso generis nervosi enasci; ideoque haudquaquam vetare, quo minus inflammationis signa, si accedunt, sanguine mittendo devincerentur.

Non ignoro plura morborum genera, præter jam relata, remedio, quod prosequor, cedere. Veruntamen, neque consilium initum, neque angusti, quibus contineor limites, hanc argumenti partem amplius persequi sinunt aut postulant. Facile ex prædictis liquebit, quicunque morbi actiones partium interiorum impediunt, simulque aut corpori justo pleniori contingunt, aut cor arteriasque præter naturam concitata sibi præferunt, aut demum vasis nimium intentis stipantur; hos omnes sanguinem mitti desiderare. Proinde, quidam *spasmorum* non raro venis depletis mitigantur, vel solvuntur; maximeque *tetanus* et *hydrophobia;* quibus jure accedunt *epilepsia*, *colica*, &c. modo sanguine plenos, juventaque aut viribus florentes aggrediantur. Hic autem præcepta edere perpetua vix licet; medicique est prudentis "non communia solum intueri, sed omnia circumspicere,"

atque cujusque ægri propria scrutari et cognoscere.

DE QUIBUSDAM NOTANDIS ET CAVENDIS.

Plura valetudinis adversæ genera sanguinis dotes et naturam haud parum mutare, medici jam diu cognoverunt. Hodierni profecto, humorum *pathologia* tandem abjecta, multo minus quam vetustiores, huc studium collocare solent: neque tamen celandum est *chemiam* nuper quædam succorum vitia patefecisse; unde non veri est absimile novam humorum *pathologiam*, alteri sane prorsus alienam, mox orturam. Ex omnibus sanguinis vitiis, quæ medici observarunt, unum solummodo ad argumentum propositum spectare videtur; nempe, tunica alba corio similis, quam sanguis, aliqua parte inflammata, detractus frequenter sibi præfert. Multi multa senserunt, de istius tunicæ natura et causa genitrice: quæ omnia exponere hic supervacaneum duco. Notissimum est multum *fibrinæ*

sanguini subesse, quæ hoc humore jam intus circumfluente, liquida vel soluta perstat; principii enim est vitæ cavere ne concrescat; quo fit, ut, misso sanguine, ideoque ejus vita (si ita dicere liceat) sublata, *fibrina* protinus coët viscida et tenax, sibique particulas rubras attrahat; quæ simul mista *crassamentum* nominantur. Interdum vero, et præsertim, inflammato viscere, *fibrina* misso sanguine non statim coagulatur, sed paulisper fluere non desinit: unde efficitur, particulas rubras, quippe quæ natura graviores sunt, suo nutu deorsum prius ferri, quam *fibrina* coïerit. Hæc vero tandem solida facta, nec alienis mista *tunicam*, de qua agimus, constituit. Ne multa igitur, hæcce tunica est *fibrina* sanguinis coacta: causa ejus genitrix hujus coagulatio æquo tardior. Cur segnius cogatur, inquirere non audeo.

Plures medici senserunt hanc tunicam eo fere semper crassiorem esse, quo gravius inflammatio exardeat; ideoque præsertim, sanguinis recte jam detracti, iterumque mittendi, indicem esse certum: quam in sententiam, proculdubio fallacem et perniciosam, jurare nequeo. Impri-

mis enim, usus edocuit istam tunicam certa lege prorsus vacare: modo pertenuem aut nullam, inflammatione acerrima; crassissimam, leviori vel inclinata. Huc accedit, eandem aliquando sanguini initio detracto deesse; at postea, vena iterum, tertiave vice percussa, prodire: interesse porro, quod ad hanc speciem, lento an celeri rivo effluat sanguis: denique tunicam relatam non raro, nulla parte inflammata, conspici: nimirum, mulieribus in utero gerentibus, *diabeticis*, &c. frequenter evenire. Quibus omnibus in animo habitis, judicare licet, abjecto isto indice inani, potius dolori, arteriarum pulsui, virium, ætatis, sexusque rationi, victus vitæque generi progresso, atque aliis ejusmodi, innitendum esse; quo clare cognoscatur, quantum et quousque venas exinanire oporteat.

Denique, non desunt morborum genera, quæ sanguinem mitti omnino vetant; at simul inflammationes eo usque simulant, ut imperiti interdum decepti venam temeraria manu secuerint, et exinde necem ægris adsciverint. Inter hæc memoratu dignissimum est Delirium tremens, quod vocatur, malum istud animi

et corporis terribile, quod ebriosos affligit. Ejus signa fuse describere non in animo est. Scire tamen licet medicos aliquando hunc morbum pro *phrenitide* habuisse, et exinde sanguinem misisse; quod mors nunquam non secuta est. Quo minus tantum erremus, imprimis inquirere opus erit, quale vitæ genus præcesserit; dein, signa acriter notanda. Si infelix diu ebrietati se dediderit, unicæ causæ hujus morbi genitrici; si artus continenter intremunt; si cutis assidue madet et friget; si citra genus nervosum concitatum homo noctu vigilat, quiescendi impotens; si oculi torvi huc illuc volvuntur, vultusque pallet, simul ferox; si mens pavida, anxia, præteritorum immemor, serie imaginum multiplici, perpetuoque novata, perturbatur; dubitando locus non erit: abjectaque omnigena fere exinanitione, *opio*, soli pene auxilio, fidendum. Denique, quidam dolores inflammatione oriundos haud leviter referunt; qui tamen sanguine mittendo non semper rite curantur. Hujusmodi est ventriculi dolor, *arthriticis*, *dyspepticis*, &c. tam infestus; cui nomen *gastrodynia*. Si cui *arthritico*, finita articuli in-

flammatione, eadem accedit, venas vacuefacere longe sæpius est hominem jugulare. Potius ventriculus *opio*, vino spirituve Gallico refocillari debebit. Ne quis hoc malum cum *gastritide* confundat, notatu dignum est dolorem, qui *gastrodynia* vocatur, manu opprimente leniri; non assiduum esse, sed invicem modo quiescere, modo repetere; febrem deficere, nec arterias motu duro exagitari. Neque tamen affirmare audeo nullum dolorem *spasmo* genitum venas depleri pati; jam proposita tantummodo *de gastrodynia* aliisque malis ejusdem generis retuli.

Haud nescio multa alia de hac argumenti parte observare potuisse; præcipuis vero insistere, quam re quaque notissima proferenda, inutiliter sermonem producere, malui.

FINIS.